Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

est in ipso est. et ubi est ipse et nos simus. hoc est
in ipso. Sic enim pater uitam habet in semetipso.
et utique non aliud est uita quam habet, nisi quod est ipse qui
hanc habet. sic dedit filio uitam habere in se
metipso. cum ipse sit eadem uita quam habet
in semetipso. Numquid autem nos uita quod ipse
hoc erimus. cum in illa uita hoc est in ipso
esse ceperimus. Non utique. quia ipse uita exis
tendo uitam habet. et quod uita est in ipso. ipse
est in se ipso. nos autem non ipsa uita sed ipsius
uite participes sumus. atque ita ibi erimus.
ut in nobis ipsis non quod ipse est esse possimus.
sed nos ipsi non uita. ipsum habeamus uitam.
qui se [illegible] ipsum habet uitam. eo quod ipse sit
uita. Denique ipse et in se ipso est inmu
tabiliter et in patre inseparabiliter. nos uero
cum in nobis ipsis esse uoluissemus. et nos
ipsos stare per nos ipsos turbati sumus.
unde illa uox est. ad me ipsum turbata
est anima mea. atque in deterius commutati.
neque id quod fuimus permanere potuimus. Cum
autem per ipsum uenimus ad patrem sicut ait.
nemo uenit ad [illegible] patrem nisi per me.
manentes in illo nec a patre nos
quisquam poterit separare nec ab illo. Conec
tens namque consequentia precedentibus. si
cognouissetis me inquit et patrem meum
utique cognouissetis. Hoc est quod ait.
nemo uenit ad patrem nisi per me. De
inde subiungit. Et amodo cognoscetis
eum. et uidistis eum. Sed philippus unus ex
apostolis quod audierat non intelligens.

domine inquit ostende nobis patrem et sufficit
nobis. Cui dominus. tanto inquit tempore uobiscum
sum et non cognouistis me. Philippe. qui uidet
me uidet et patrem. Ecce increpat. quia tan
to tempore cum ipsis erat. et non cognosce
batur. Nonne ipse dixerat. et quo ego uado
scitis. et uiam scitis. et se nescire dicentes
eos hoc scire conuicerat. addendo atque
dicendo. ego sum uia et ueritas et uita. Quomodo
nunc dicit. tanto tempore uobiscum sum et non cogno
uistis me. cum profecto et quo iret et uiam sci[illegible]
rent non ob aliud nisi quia ipsum utique scirent.
Sed facile ista soluitur questio. si dicamus quosdam
aliquid eorum sciebant aliquid nesciebant. atque
in his qui nesciebant et philippus erat. ut
quod ait. et quo ego uado scitis et uiam scitis. illis
dixisse intelligatur qui sciebant. non philip
po cui dictum est. tanto tempore uobiscum sum et
non cognouistis me philippe. His ergo qui fi
lium iam nouerant et illud de patre dictum
est. et amodo cognoscetis eum et uidistis eum.
Dictum est enim propter omnimodam similitudinem
que illi cum patre est. et ideo amodo dicuntur nosse
patrem. quia nouerant similem filium. Sed iam scie
bant filium et si non omnes. certe quidam eorum
quibus dicitur. et quo uado scitis. et uiam scitis. Ipse est
enim uia. Sed patrem nesciebant. ideo au
diunt. si cognouistis me et patrem meum
cognoscetis. per me utique et illum. Alius enim
ego sum. alius ille. Sed ne putarent dissi
milem. et amodo inquit cognoscetis eum et ui
distis eum. Viderunt enim ei simillimum filium.